


PHOSPHORESCENTIA  
ADAMANTVM  
NOVIS EXPERIMENTIS  
ILLVSTRATA

A

MICHAELE DE GROSSER S. R. I. E.

*Inferioris Austriae nobili provinciali*



---

V I E N N Æ,

TYPIS JOANNIS THOMÆ NOB. DE TRATTNERN.  
CÆS. REG. AULÆ TYPOGR. ET BIBLIOPOLÆ.

1777.

(K)

1907  
M. KIR. BÁNYAMÉRNÖKI és  
ERDŐMÉRNÖKI FŐISKOLA  
KÖNYVTÁRA  
B.3321. szám.



ME FŐKÖNYVTÁR  
2004  
LELT-ELLENŐRZÉS

2004 Szept 08



De Adamantum phosphorescentia ut scriberem, noua nonnulla experimenta persuasere; quibus coepita theoriae rudimenta, sin minus ad apicem perduci, promoueri certe, nouisque incrementis augeri videbantur.

Etsi hac de re multa, eaque praeclara Faius, et si nonnulla Beccarius memoriae prodiderint: ea tamen huiusmodi erant, quibus nec satis constaret, qui potissimum adamantes, nec cur phosphorescerent. Novis tentaminibus opus esse videbatur, quae, et phosphorescentiae cauffas figerent certius, et adamantum genus determinarent, quod communi omnibus pretio phosphorescendi simul ornamenta, coniungeret. Tentaminum vero huiusmodi summa mihi oportunitas erat, erant optimo parenti meo omnium generum, omnium colorum adamantes,

A tes,

tes, erat illi insignis quaedam in his tractandis peritia, erat multo vsu, aetateque roboretum neque propterea minus vegetum, aut acre experiendi studium, vt quidquid ad constituantem phosphorescentium adamantum speciem pertineret, id mihi tuto, seu ab illius liberalitate, seu peritia sponderem.

Phosphorescentiae vero ipsius caussam indaganti ita HERBERTVS diff. de igne praeuiisse videbatur, nil paene, vt laboris relinqueret, quam vt inquirerem, ad quam phosphorum speciem adamantes pertinebant, vrgebat is insuper, hunc vt laborem susciperem, omniaque quanta posset, seu ab opera, seu a consilio adiumenta offerebat; hos quum duces operis, quum experimentorum testes, sociosque haberem; nil erat, quod me moraretur, quin, quamuis tyro, celebrium academicorum vestigia non premere solum, sed ultra tramitem etiam illorum vestigiis tritum, progredi, interioraque naturae abdita peruestigare auderem.

Phosphorum nomine et si lucentia quaelibet corpora physicorum nonnulli intelligent, nomen tamen ipsum, a dubia phosphori diem praeuerentis luce, depromtum, iis praecipue competere videbatur, quae lucem exiguum, diurna multo minorem, luci lunari non absimilem, quin hac ipsa saepe debiliorem praeferunt. Ea igitur corpora posthac phosphorus vocabimus, quae lucem, nec visum suo fulgore per-

firin-

stringentem, nec tactum sensibili calore afficientem emittunt.

Sunt vero duo potissimum corporum huiuscmodi, genera, alia non nisi aeris accessu, alia in vacuo non minus quam in aperto aere fulgent. Phosphorum PRANDII, quem etiam alias Kunkelianum dicunt, ligna putrida, et innocuas illas electricitatis, per rarissimum aerem traiciens, coruscationes, nonnisi aeris accessu, lucere HERBERTVS demonstrauit. \*

Quin, et si directis experimentis euidetur hactenus non sit, idem ad genus quoque lampyrides, dactilos marinos, pisces in aqua falsa coctos; phosphorescentiam maris a Cantono recens examinatam, ignes denique fatuos pertinere; tamen tanta inter hos, illosque similitudo intercedit, ut nullus dubitem, hos non minus, ac illos, non nisi aeris interuentu, lucere. Vti Prandiani phosphori lux sub aqua restinguitur, ita nulli vñquam sub aqua, etiam vliginosissimis in lucis, ignes fatui, nulli pisces phosphorescentes visi sunt.

Observatum vero insuper est, quassatione fulgorem maris, fluidorumque in quibus dactili marini continebantur intendi. Quid vero aliud quassatione fit, quam quod et maior, et alia itentidem aeri superficies obuertatur? Denique fulgor ille

A 2

qui

---

\* Diff. de igne sectione 3ta. de igne genito, et absorpt. Prop. 6ta.

qui seu ex mortuorum tumbis, seu ex cavae uernis subterraneis longo tempore clausis, quum aperirentur, erupit, quid commonestrabat aliud, quam aeris accessum, ad exhalationum illic delitescentium phosphorescentiam requisitum fuisse?

Alterum phosphorum genus absque aere in vacuo etiam Toricelliano lucet. \* Ita phosphorus Bononiensis Cantoni, Baldini, et alii huiusmodi, si aliquanto tempore luci diurnae exponantur, ex hac in tenebras retrahantur, in vacuo non minus quam in aperto aere fulgent.

Postquam adamantium phosphorescentiam examinandam sumsi, id inuestigandum videbatur in primis, ad qualem isti phosphorum speciem pertinerent.

Etsi primo statim intuitu satis appareret, nihil adamantibus cum primi generis phosphoris commune esse, quorum fulgor iis ab exhalationibus pendet, quae lucem ante irretitam aeris accessu dimittunt. \*\* tamen quo nihil praecipitarem, omni experimentorum genere adamantes, Bononiensi in primis cum lapide conferendos sumsi.

## EX-

\* Herbertus diff. de igne sect. III. de igne genito, et absorpt. prop. VI.

\*\* Herbertus diff. de igne sect. III. de igne genito, et absorpt. prop. VI.

## EXPERIMENTVM I.

**A**ccepi adamantem coloris Cytrini duorum circiter granorum, qui ex ingenti alicrum numero, et celerrime solari a lumine fulgorem accipiebat et acceptum diutissime in tenebris retinebat. Hunc in tubum vitreum tres pedes longum diametri vero duarum linearum immisi, tubum omnem mercurio ex integro impleui; orificium inferius interim digito obturaui, dum hoc in amplum mercurii stagnantem demersum esset, inuerti dein tubum, verbo cautelas eas omnes adhibui, quae in implendis Barometris, vsu veniunt. Haerebat tum intra mercurii columnam, loco fere medio, adamas, qui tamen iteratis vitri succuscionibus nulla difficultate ad supremam mercurii superficiem sublatus est. Hunc iam ita superficie mercurii, qua hic vacuum contingebat, innatantem, luci solari exposui, in tenebras retraxi, vti phosphorus Bononiensis, eundem in vacuo, quem alias aperto in aere, et hic fulgorem praesertulit.

## EXPERIMENTVM II.

**Q**uum constet Bononiensem phosphorum non a diurna solum luce, sed a calore etiam splendorem mutuari, cochlear ferreum, neque tamen, vt canderet, calefeci, huic eundem hunc adamantem imposui, vix duorum secundorum interuallo

opus erat, vt adamas fulgeret. Conceptam vero a cochlearis calore lucem licet ex hoc exemptus, multumque refrigeratus iam esset, minuti vnius, & quod excedit, tempore retinuit.

### EXPERIMENTUM. III.

**O**bseruaueram alias phosphori bononiensis pulueres, conductori electrico, cera affixos, quum scintilla ex hoc educitur, huius traiectu fulgere.

Idem vt in adamante experirer, sumsi catenae, cum exteriori armatura, communicantis extreum, huic cera adamantem affixi, per hanc ictum electricum, ex trium pedum quadratorum armatura, eduxi, luit insigniter adamas.

Haec tanta effectuum bononiensis lapidis, & adamantis similitudo, cauffarum identitatem non persuadebat solum, sed plane demonstrabat. Hanc mecum reputans, constitueram, in definienda phosphorescentiae adamantum caufsa, me totum ductui optimi Professoris mei, committere, eademque, quae de lapide bononiensi afferuit, quae publicis in collegiis demonstrauit, de adamante referre.

Verum postquam is ipse quaestionem totam reassumi ex integro voluit, postquam in definienda phosphorescentiae caufsa, iteranda bononiensis lapidis, facienda eadem in adamantibus experimenta suasit,

vt

vt diuersarum specierum, idem ad genus pertinentium obieruationes, vel si quod intercessisset theoriae vitium, demonstrarent, vel hanc mutuo nexu concordiaque firmarent. Ea primum quae Academiae bononiensis commentarii \* facta a Zanotto experimenta referunt, iteranda sumsi. Sunt vero illa ipsis Academiae verbis descripta huiusmodi. *Zanottus, is qui Academiae est a secretis difficiliorem quaestionem versabat animo, quam dudum Marsilius proposuerat, an bononiensis lapis alienam lucem, & extrinsecus aduenientem imbibat, eamque in se conseruet, an luce niteat sua?* Nam quamuis eum aliena luce imbuī, eamque attrahere, appetere, accipere, imbibere, retinere, & alii saepe, & nos nonnumquam dixerimus, id ex consuetudine potius quadam dictum est, quam ex veritate, nihilque impedit, quo minus existimemus venientem extrinsecus lucem non quidem in lapide inhaerere, sed eam potius accedere. *vt postea sua luce fulgeat, quemadmodum faciunt omnia, quae accenduntur* . . . . . *Zanottus, ut dixi, quaestionem sibi proposuerat, vr̄um bononiensis lapis aduenientem extrinsecus lucem intercipiat, eamque post, in tenebris diffundat, an alieno splendore commotus, suam ipse lucem exprimat.* . . . . . *Hoc ergo Zanottus secum re-*

*putans ( scilicet radium lucis in fasces vario modo coloratos prismatis ope separari) quaestionem propositam facile solui posse existimauit , si bononienfis lapis aliquis in ea, quam dixi , variis coloribus distincta imagine poneretur, sic vt radios certi cuiusdam coloris acciperet, si enim simul etiam cum luce colorem traxisset, id indicio futurum erat , ipsum aduenientes extrinsecus radios accepisse in se , & conseruasse; sin autem lucem traxisset, non colorem, id argumento fuisset , ipsum non externos radios imbibisse , sed alieno splendore commotum, suam postea protulisse. Cum enim color, qui semel in radiis insederit, separari nullo modo possit, qui fieri posset, vt lapis acceptos radios in se conseruaret, colorem radiorum non conseruaret ? Eadem experientia Algerottus quoque cum aliis instituebat, hic prismatis ex anglia submissis, Zanottus eiusmodi , quae Venetiis conficiebantur , vtebatur. Lapidés bononienses plures, radiis solis exposuerat Algerottus, ex quibus suis pro experimentis duos selegerat, qui maxime omnium luxere. Duobus his lapidibus leclis ad experimentum quod Zanottus exposuerat ventum est. Subtilissimum solis radium per exiguum foramen in conclave obscurum admiserunt, ipsumque prisme exceptum sic fregerunt, vt in pavimentum caderet, ibique imaginem efficeret consuetis coloribus variatam , dum duos, quos dixi lapides, alterum in rubro*

colore, alterum in coeruleo posuerunt, quibus in coloribus cum circiter octo minuta temporis mansissent, eos statim in cubiculum proximum obscurissimumque transtulerunt, ubi dudum obseruatores alii, rei extitum expectantes, morabantur. His lapides minus nitidi visi sunt quam ante, colore autem, qui fere albesceret, & lumine adeo pares, ut nulla plane, quae quidem sensu posset percipi, differentia interesset, quod cum ita sit, non videntur sane bononienses lapides externam alienamque lucem imbibere, si enim imbiberen, cur duo illi, quos diximus, lapides, colore plane pares, fuissent? cur non alter coeruleus, alter ruber, cum ille coeruleam hic rubram lucem imbibisset? Inter haec venit in mentem Zanotto aliud quidpiam experiri quo magis natura lucis, quam lapides fundunt, innotesceret. Horum aliquot a sole recens illustratos, asportatosque in tenebras, prismate ad oculos apte admoto, diligenter inspexit, inspicienti autem nihil eorum apparuit, quae solent illis videri, qui lucis quidpiam per prisma intuentur. His enim, si prisma probe collocatum sit, videtur lux illa, quam cernunt, & longior quam est, & coloribus pulchererrimis variata, in lapidibus vero quosmodo dixi, nihil tale accedit, quod certe sensu posset percipi, nam quamvis per prismata adspicerentur, tamen & figuram, & colorem suum, retinere visi sunt. Situm tantum mutarunt, quod ex refractione radiorum fieri

*necessē erat, & minus fulgidi apparuerunt. Quod autem figuram fere, & colorem retinuerunt suum, an id ex eo factū esse putamus, quod radios mitterent vnius tantum coloris & generis, an potius ex luminis tenuitate? Et vero in extenuata carbonis luce, exiguisque aliis fulgoribus Zanotto praesertim, aliisque obseruatoribus idem apparuit. Ac fortasse st lapides praestantiores, qui plus luminis funderent ad id experimentum adhicerentur, & figura illorum longior, & color varius appareret, quemadmodum in vermiculis accidit, qui per herbas aestate passim iacentes noctū fulgent, ut est ab Algerotto, & Zanotto utroque, Francisco, & Eustachio nec non & ab Eustachio Manfredo, cum simul ruri essent haud semel obseruatum, sed est horum vermiculorum fulgor maior plerumque, & nitidior, quam bononiensium lapidum.*

Zanotti experimentum utut numeris omnibus absolutum primo obtutu videtur: erat isthoc tamen mihi semper omni in hypothesi inconceptibile, quod non coloris solum in vtrisque bononiensibus lapidibus luce rubra, & coerulea illustratis species eadem, sed eadem quoque lucis intensio sit obseruata. Qui radios per prismā refractos rubrum, & coeruleum, vel semel seu speculorum reflexione, seu lentium refractione commiscuit, qui vel solo spectri colorati obtutu rubrorum coeruleorumque vigorem comparauit inuicem,

ne-

nemo illi persuaserit facile, ab his radiorum speciebus effectus vel ad sensum aequales proficisci posse; tantum scilicet rubrorum fulgor, vigorque, languidius multo coeruleorum lumen excedit.

Haec mecum reputans postquam nec prismatis species, quantumque hoc radios difregerit, nec distantia spectri a prismate in experimenti enarratione determinata est, oborta mihi suspicio fuit, colores fortasse nondum satis separatos in paumentum incidisse, quibus si bononiensis lapis vterque impositus esset, fieri poterat, ut vterque colore rubro coeruleoque adhuc permixto collustraretur, desiderabatur & alia adhuc cautela. Radii per foramen vtcunque tenue ingressi, & a foramine, & ab ipsa in quam incident prismatis vtraque superficie reflectuntur. Praeter eos qui a sole directe profiscuntur, reflexi quoque a vicinis obiectis omni directione in cameram obscuram adueniunt, poterat, & his tantum robur adhuc esse, vt selectos illos bononienses lapides ad lucendum adducerent. Haec vt mihi dubia eximerem Zanotti experimentum his cautelis iterandum sumsi.

## APPARATUS.

**C**ameram reddidi obscurissimam, vt per medium etiam horae quadrantem in obscuro versanti lux nulla parte ingredi

videretur. Erat valueae applicatum speculum metallicum cui motus omnes intra cameram obscuram facile tribui poterant, verbo ita, ut pro microscopiis solaribus aptari solet, comparatum, hoc solis radius obliqua sursum directione, refle<sup>c</sup>tetur. Radio foramen duarum linearum in diametro in lamina orichalcina factum, aditum in cameram obscuram dabat. Radius prismate, cui angulus 60 graduum erat, excipiebatur. Angulus prismatis fornicem camerae respiciebat, ut tractus luminis refractus directionem horizonti parallelam sortiretur. Erat prisma, & a venis, & ab vndis immune, erat illud ex crystallo anglica vulgo Flintglas nuncupata, ut ob maiorem huius crystalli diffractionem radii ab inuicem citius separarentur. Spectrum ex prismate diuergens tabula nigra proxime ipsum prisma, constituta, quae non majori quam vnius, & medii digiti foramine erat, transmittebat, quae radiorum seu ex prismate reflexorum, seu ab aliis obiectis in cameram obscuram ingressorum, copiam maxima saltem parte excluderet. in distantia 10 pedum, ad quam colorati luminis tractus satis iam diuerge-re videbatur, tabula altera nigra colloca-batur, duobus foraminibus, 4 digitis ab inuicem distantibus, pertusa, quorum vnum radios rubros, & aureorum partem, alterum indicos, & coeruleorum partem trans-mitteret. Post tabulam substaculum ni-grum

grum diuersa duo eiusdem bononiensis lapidis frusta, vnum coeruleo, rubro lumen alterum obiiciebat.

#### EXPERIMENTUM IV.

**O**culos in lapides direxi primum, dein minutorum aliquot interuallo clausi, quum sat diu luci expositi lapides, sat expediti ad videndum etiam debile lumen oculi parati videbantur, foramen, prisma & apparatus omnem, qui lucem immittebat, panno nigro obtagi feci, inspexi de in lapides. Erat illi, quem rubro in lumine collocaueram debilis aliqua lux, quantum ad colorem illi plurimum similis, quae viridium, & coeruleorum mixtione habetur. Illi contra, qui coeruleo lumine colustrabatur, lux multo magis viuida, coloris aurei, aut carbonis subobscure cunctatis, luci illi similis, quae fere rubrorum, & flauorum mixtione obtinetur. Iterauit experimentum aliquoties coram pluribus ipso etiam Nagelio philosophicae facultatis (quem honoris caussa nomino) directore, viro in omnibus philosophiae disciplinis non versatissimo solum, sed de iis etiam optime merito id aliaque spectante, non variato euentu. Erat dies tum serenissima, atmosphaera post nocturnam pluuiam tempestatemque maxima sui parte a vaporibus libera.

#### EXPERIMENTUM V.

**C**ollocaui eodem hoc in lumine supra memoratum adamantem, nullum in hoc

hoc fulgoris, vel vestigium utrolibet, seu rubro scilicet, seu coeruleo in lumine collocaretur, apparuit.

### APPARATUS.

**D**ebilis, ac par esset, nimia dispersio-  
ne utrumque hoc lumen ratus, repu-  
tabam mecum fore fortasse, ut experimen-  
tum succederet, si radios iam rubros iam coe-  
ruleos, lentis interuentu in focum colligerem  
adamantemque focus imponerem. Cyftam  
igitur construi feci, quae caudae solidae ad-  
haerebat, quam intra cauum pedem attole-  
re, deprimere, & situ quolibet ope cochleae  
figere liceret. Anteriori Cyftae parti for-  
amen 6. digitos longum duos, & medium la-  
tum incisum erat, huius parti exteriori, as-  
ser in crena mobilis applicabatur, qui coch-  
lea situ quolibet commode figeretur. Asse-  
ris medio lens affixa erat, diametri duo-  
rum, foci sex digitorum. Quo iam radios  
lentis ope collectos commode in phospho-  
ros dirigerem, collocaui post lentem sub-  
staçulum mobile, cui affigi omnium gene-  
rum phosphori atque in focum lentis attol-  
li, deprimiue, ab hoc remoueri, aut huic  
admoueri propius possent.

### EXPERIMENTUM. VI.

**A**damantem in foco rubrorum minutis  
aliquot collocaueram, nulla ex hoc,  
quae in tenebris discerneretur, lux ema-  
nauit, qui dein in coeruleorum foco loca-  
tus elegantissime continuato per 5. minuta-  
ful-

fulgore, ex albo flauescente, luxit. Quae experimenta quum diebus non adeo serenis tentarem, nullam in apparatu mutationem, nisi istam feci, quod foraminis duarum linearum, per quod lux in prisma incidebat, maius aliud sex, aut septem linearum surrogauerim.

Etsi confectum his experimentis videbatur, aliam lucem in phosphoros incidere, aliam a phosphoris reddi: nihilominus alterum quoque Zanotti experimentum, quo phosphorum per prisma intuitus, nihil in huius dimensione, nihil in colore mutationis deprehendit, iterandum videbatur.

### EXPERIMENTUM. VII.

**P**er prisma eiusdem crystalli anglicae bononiensem lapidem, & adamantem coeruleis ante radiis collustratos, dum apprime fulgerent, inspexi, atque in bononiensi quidem lapide contra ac Zanottus, aliquam imaginis extensionem coloremque, rubrum & flauum discernere mihi videbar quidem, non ea tamen praecisione discernere, quae dubium omne meo animo eximeret. Adamas vix cernebatur, nedum ut in hoc figurae mutatio colorumque diversitas distingueretur.

Venerat in mentem rem aliter tentare. Ita enim mecum reputabam, si aliam phosphorus lucem quam eam, qua illustratur, emittit, fore tum, ut dum per prisma radiis

diis coeruleis collustratur, coerulei a phosphoro parte aliqua reflexi se ab iis, quos hic proprios emitteret, discernerent.

### EXPERIMENTUM. VIII.

**R**adium luminis foramen minus trai-  
cientem prismate excepti, tabularum-  
que nigrarum, & diaphragmatis insuper  
objectu radios omnes heterogeneos ab ac-  
cessu ad lentem excludere conatus sum, fo-  
co lentis plagulam albam obieci, quam  
per prisma, quum in hanc coeruleorum  
focus terminaretur, intuitus sum, faten-  
dum hic mihi ingenue est, quod, omni li-  
cet conatu adhibito, nunquam punctum  
lucidum solo colore coeruleo nitens obti-  
nuerim, semper rubri simul aliqui, flavi, vi-  
ridesque, et si debiles admodum, praeter coe-  
ruleos discernebantur. Quum tamen po-  
tior multo pree coloribus aliis coeruleo-  
rum lux esset, imperfectam hanc luminis  
separationem non magnopere proposito  
meo repugnare existimabam, igitur in fo-  
cum coeruleorum phosphorum bononien-  
sem constitui, obseruauique rubri preefer-  
tim flauique coloris intensionem radiis ex  
ipso phosphoro emissis magnopere ipsam  
sub obseruationem increuisse, dum dein  
oculo, & prismate immotis foramen panno  
nigro obduci sinerem, euanuere coerulei  
ex integro, rubri, flauique ex phosphoro  
emissi clare distinguebantur. Quo experi-  
men-

mento euictum erat utique, coeruleorum in phosphororum incurvo rubros potissimum flauosque a phosphoro emitti. Si ueram eodem modo, vt rubrorum focus in phosphorum incideret, obducto foramine nil plane lucis in phosphoro per prisma discernebatur, quod scilicet lux illa, ex albo virescens, rubrorum incidentium actione propulsa, debilis esset adeo, vt omnis illius sensus prismatis interiectu evanesceret. Rem eodem plane modo in adamante tentans, quum hic radiis coeruleis collustrabatur, intendi flauus praesertim color per prisma visus est, foramine omnique apparatus, per quem lux immittebatur, panno nigro obducto, flauus in hoc per prisma videbatur eius generis, qui in spectro colorato viridi prope conterminus est.

Examinatis Zanotti experimentis alia multumque a prioribus diuersa de P. Beccaria celeberrimo Tauriensium philosopho Priestleus retulit. \* Quum author ipse ad manus non sit, Priestlei verba in latinum translata describam.

*Nuper admodum P. Beccaria Taurini retulit, frusta phosphori artificialis, quae bononiensem lapidem multum superabant, si tubis, in quos lux per vitra colorata se penetraret, immitterentur, non aliam lucem, quam quae per vitra in hos pene-*

B traue-

---

\* Die Geschichte, und gegenwärtiger Zustand der Optik 2. Abschnitt.

*trauerat, reddere. Fieri enim hac ratione, ut phosphorus multo fortius quam imagine solis refracta illustretur. Quae obseruatio extra dubium opinionem collocat, qua phosphorus eandem lucem, quam paulo ante hauserat, in tenebris reddere existimatur.* Hoc Beccarii experimentum, quum de alio aliquo, quam de bononiensi phosphoro agat, ad rem meam parum pertinere videbatur, adamantum phosphorescentiam prosequor, quaeque in isto ob debilitatem luminis non cernuntur phoenomena, ex analogia, quae hunc inter & lapidem bononiensem, sola fulgoris intensione excepta, intercedit, inferenda sumo Vnde fulgentem illum Beccarii alterius, vt appareat, generis phosphorum nil morarer; nisi vir celeberrimus concludere videretur, lucem a phosphoris vniuersim aliam non redi, quam illam; quam recens accepere. Id in causa erat cur Beccarii experimenta non in suo illo, sed bononiensi phosphoro iterarem.

## APPARATUS.

**E**rat mihi ad manus vitrum profunde rubrum, flauum, viride, coeruleum, violaceum. Radio solis per speculum in cameram obscuram reflexo, ad tubi officium, per quod lux irradiabat, vitra apposui, quumque alia aliis diaphana magis essent, magis diaphanorum duplices sumsi  
ta-

tabulas, vt omnia, quantum ad luminis transmissi intensionem, sibi ad sensum aequalentur.

### EXPERIMENTUM. IX.

**T**rans vitra violacei, & coerulei coloris traiiciens lux, phosphoro lucem auream, ad candardis carbonis colorem plurimum accendentem, tribuit. Trans vitrum viride, rubrum, flauum palidus, ex albo in viridem vergens color apparuit in rubro flauoque aliquanto, quam in viridi obscurior. Adamas in omni hoc lumine sensibilem in tenebris fulgorem non contraxit. Meminit similis de adamantibus experimenti Faius \*) in quo nil interesse obseruauit, quaecunque demum per vitra colorata lux in adamantes incideret, lucem semper eandem albescentem ab his reddisse. Fuerint scilicet Faio vitra magis dia-phana, quam mihi. Caeterum bona Faii, bona Beccarii venia dicam, nunquam mihi hanc illorum experiendi rationem probatam fuisse. Nunquam vitra ita uno colore imbuntur, vt non omnium colorum radios satis magna copia transmittant, radius vitrum profundo admodum colore tinctum transiens debilior est, quam vt phosphoris fulgorem conciliet, idem vitrum coloratum aliquanto magis diaphanum traiiciens, si primate excipiatur, omnes in spectro colores

---

\*) Actis Academiae reg. Par. 1735.

exhibit ut nil intersit paene, an radio directo debiliore aliquantum, an per vitra colorata traiiciente phosphori examinentur. Quid quod iterari huiusmodi experimenta sufficienti accuratione nequeant, quis enim coloris speciem? quis diaphaneitatis gradum ita descripserit, ut ab altero vitrum plane simile detegi, atque in experimentum vocari queat? quis facile abnuet, vitri, v. g. flavi obiectu tantum coeruleorum radiorum non excludi, ut non auream illam ex phosphoro, quam in spectro colorato egredi coeruleorum incursu videamus, lucem eliciant? dubiis vero his experimentis id fidem derogat plane, quod bononienses saltem lapides diu ante in tenebris seruati calore vix luceant, luci diurnae expositi luceant debilius, quam si paulo ante solari lumini expositi fuere. Si, quam recens hauriunt, eam solum lucem reddunt, nil interesset utique, quanto cumque ante tempore in tenebris constitissent.

Postquam quae in rem facere videbantur, experimentis ita persecutus sum, nil ut sit, in quo non ipsas naturae per haec paene loquentis voces secutus videri queam.

Rem omnem ita conficio, habet adamus id cum phosphoro bononiensi commune, ut in vacuo luceat, ut fulgorem calore, & electrico etiam igne nanciscatur, & denique aliquanto tempore luci coeruleae, lentis ope, collectae expositus prae-  
stan-

stanter in tenebris fulgeat, habet illud imprimis dispar, quod lapis bononienfis auream carboni candenti similem, ex albo flauescentem lucem, adamas reddat: quae diuersitas illud quidem demonstrat, quod adamas rubros radios nec forbeat, nec coeruleorum incursu dimittat, non quod non forbeat alios, alios dimittat. 2do. & haec adamanti a bononienfi lapide diuersa sunt. Quod luci rubrae, aut flauae expositus, seu haec colorati spectri ope, seu trans colorata vitra etiam in foco lentis collecta illabatur, non luceat. Neque luceat etiam radio coeruleo nisi lentis ope maiori copia, illabente. Quod alterum diuersitatis caput, aliud fere non demonstrat, quam inferiorem multo fulgoris intensi-  
nem in adamante, quam in bononienfi la-  
pide iisdem modis excitari. Certe, quum diebus minus serenis lux solis debilior est, eadem omnia quae adamanti luce intensa eueneret, phosphoro etiam bononienfi eueniunt. Si iam ea reputemus quae paria depre-  
henduntur easdem esse in adamante & bo-  
nonienfi lapide phosphorescendi caussas de-  
monstrant, quodque rei caput est, illud ostendunt, lucem etiam illabi in ada-  
mantem aliam, aliam in tenebris redi. Quae quum ita sint, ita ipsis optimi Professoris mei verbis de caussa phospho-  
rescentiae adamantum, concludo, quibus ille olim suam de lapidis bononienfis ful-

gore opinionem est prosecutus. Prop. 4ta. fol. 168. *Reputans iam alios, quam qui incidebant, radios a phosphoro reddi, vt ut vellem alio tamen mentem traducere non potui, quam ut opinarer, diuersas, cum diuersis corporibus heterogeneorum luminis radiorum intercedere adfinitates, alia radiis rubris, alia coeruleis magis adfinia esse, quae rubris magis adfinia sunt, coeruleos aliosque horum accessu dimittere, quae vero coeruleis, ea rubros aliosque euvibrare; plures porro particulas phosphori ad coeruleos radios, quam ad rubros adfines esse, hinc coeruleorum illapsu lucem multo magis viuam quam rubrorum illapsu reddi.* Certe quum acido uno aerem, aut alterum egredi acidum videmus id magis adfine alterum, quod minori adfinitate est, propulisse dicimus, cur aliter de diuersis luminis radiis, inter se se heterogeneis ratiocinandum nobis esset non video.

Postquam phosphorescentiae caussas prosecutus pro viribus sum, difficultas vrgebat altera, qui potissimum adamantes posphorescerent. Multa eaque praeclara hoc in genere Faii Tentamina exstitere \*) Prosequitur is eleganter, quae Plinius, quae Solinus, quae Aelianus posterioresque alii de lapidum variorum phosphorescentia scripsere, sua his tentamina, multo accuratiora, praestantioraque, ad-

---

\*) Actis Acad. reg. Par. ad annum 1735.

jungit, quibus illud veteribus incognitum, detexit denique, adamentes non solo tritu, aut calore, sed luce etiam solari phosphorescere. Sed ut ut vias omnes inierit, quibus deterget, cur alii prae aliis phosphorescant, irritus tamen summi viri labore euafit.

Offert se fortuito saepe aliudque agentibus, quod quantalibet opera quaesitum, deprehendi non potest, quae res erat, cur animum non desponderem, eadem fortasse via, quam Faius inierat, iteratis illius tentaminibus id deprehensum iri, quod tanta obstinatione illius oculis se subduxit.

Experiendi rationem a Faio aliquantum diversam tenet, animadverteram adamentes citius multo in radiorum coeruleorum foco, quum ii praesertim copiosiores per foramen 6 linearum in prisma inciderent, quam in aperta luce phosphorescere, quae res persuasit, ut superiori apparatu vterer, adamanthesque omnes, quos examinando sumferam, non luci solum solari exponerem, sed insuper in coeruleorum radiorum foco aliquanto tempore collocarem, erant complures, quibus nulla, aut debilis admodum phosphorescentia a sole, elegans a foco coeruleorum, hausta est.

## EXPERIMENTUM. X.

Oblongus rubrique coloris adamas ponderis 66 granorum, ovalis alter coloris rosei 24 granorum, tertius aurei coloris, 36 granorum, 4<sup>us</sup> flavo colore fortiter tintitus 17 granorum, denique perfecte diaphanus 14 granorum nullum lucis vestigium, et si pluribus minutis in coeruleorum radiorum foco haeserint, prodidere.

Adamas 40 granorum perfecte diaphanus lucere et ipse renuit initio, longiori tamen tempore in coeruleorum foco seruatus, luxit. Ex quo compertum videbatur, quod quo maioris mollis adamantes sunt, eo illos diutius, ut luceant, collustrari debere.

Denique minores alios ingenti numero examinans diaphanos, coloratos rubro, flavo, viridi, coeruleo, subnigro colore, aliquos ad phosphorescendum adduxi, quum alii eiusdem coloris, et magnitudinis adduci non possent. Ipsos plane flauos, quorum 400 faius phosphorescere deprehenderat, non omnes in tenebris fuluisse deprehendi. Compertum ut esset, frustra in colore phosphorescentiae causas inquire.

Venerat in mentem an non fortassis natali a loco res penderet, feruntur nobis non orientali tantum, sed ex occidentali etiam India adamantes, utrique, et si in tetraedra concrescant, cruditamen adhuc,

et

et impoliti diuersa admodum forma sunt, ut exterior species locum natalem certissimis indiciis prodat. Binos igitur, crudos adhuc, & impolitos ex orientali, totidem alios ex occidentali JNDIA allatos, quorum singulis pondus sex proxime granorum erat, examinaui, in nullo ne minimum lucis in tenebris videbatur, et si diu in sole feruati, coeruleorum foco expositi essent.

Postquam nec color, nec locus natalis ad rem faceret, quae olim Faio suspicio oborta est, ea & mihi in mentem venit, phosphorescendi vim, ut bononiensi lapidi, ita & adamantibus arte conciliari, nil hic prouius erat, quam opinari ignis potissimum actione rem peragi. Adstitit vero olim genitor meus experimenti non solum testis, sed laboris insuper socius, tentaminibus sumptuofissimis a summo aliquo physices fautore factis, quibus inquirebatur, an adamantibus fluiditas conciliari vlo modo posset, tentamina huius modi erant.

Fornax pyramidali figura hassiana ex terra structa integris octo diebus potentissimo igne vrgebatur, fornacis medio globus cupreus, qui 100 adamantium caratos continebat, immissus est, exempto, aper-toque globo vix adamantium vestigia apparuere, ita omnes in vapores dissoluti auolauunt.

Celebri hoc experimento paternoque monitu minorem adhibere ignem, ad torrendos adamantes edoctus, ternos adamantes

tes igne eosque solum tostos, dum asperam externa superficie crustam induerent, examini subieci, nulla in illis ut, antea ita nec post ustionem phosphorescentia apparuit. Quae res eadem & Faio olim iam accidit.

Rebar id inde fortasse oriri, quod partes adamantum phosphorescentiam daturae vel eo etiam minus intenso igne in vapores solutae sint. Adamantem igitur 6 granorum capsae ex terra colonensi carbonum pulueribus impletae inferui, argilla omnes aeris aditus praeclusi, potentissimum ignem adhibui, ut capsula integra media hora canderet, methodum hanc esse aurifaborum ab optimo parente didici, qua maculas coloratas, fulgorique adamantum officientes, in nigras, nil post hac obscuratas, immutant, exemptus adamas atque in cameram obscuram translatus, nihil, ut ante lucis dederat.

Experimentum in tribus diversis adamantibus, eodem modo iteratum, eodem modo spem fecellit. Rem animo attentius versans, existimabam denique in adamantibus, velut aliis in phosphoris non solo ab igne, sed a salium quoque interuentu phosphorescentiam pendere, rogaueram igitur optimum parentem meum, an non adamantium usus, quandoque salium interventu perageretur, sique id usu veniret aliquando, ipse ut experimentum praeiret precatus sum.

## APPARATUS.

Sumpserat ille amplum carbonis frustum, quod insigniter calefecit, ne scilicet ipsum sub laborem fese carbo funderet, hoc in carbone, foueam nucis auellanae magnitudine excavauit, in hanc boracem immisit, quem lampadis fusoriae flama flatu in boracem impulsa spumantem reddiderat initio, dein purissimae instar crystalli fluentem.

## EXPERIMENTUM XI.

Intra fluentem nitide boracem adamantem 6 granorum, qui nulla opera ante ad phosphorescendum adduci poterat, immisit. Flamma in adamantem directa, flatuque integro horae quadrante, & quod excedit, continuato, dum iam magna parte in vapores diffluxisset borax, ut adamantem porro non tegeret, a labore cessatum est, exemptus ex borace, frigefactus adamas; coeruleorumque foco impositus aliquantum, eleganter in tenebris phosphorescebat; Experimento eodem in duobus aliis instituto par euentus certum me iam reddebat, irritam meam suspicionem non exstitisse.

## EXPERIMENTUM XII.

Postquam sal gemmae quoque potentia calore fluit, boracis loco sal gemmae accepi,

cepi, nihil in reliquo apparatu variaui, exemptus ex hoc adamas, lucique solari, aut coeruleorum radiorum foco expositus nulla phosphorescentiae signa dabat.

Hæc me experimenta prope in suspicione adduxerant phosphorescentiam adamantum sola arte gigni, universimque a salibus, sed non quibuslibet illis, ignisque actione pendere. Etsi vero isthac relata paullo ante experimenta suaderent, tamen tantus phosphorescentium adamantum numerus, rem simul incredibilem faciebat. Crudos igitur adhuc, quotquot parenti optimo ad manus erant, adamantes, tenare constitueram, visurus vtrum his nulla adhuc arte tractatis, naturalis phosphorescentia non esset, accidit, ut primi statim duo, quos experimento subieceram, eleganter phosphorescerent, pateret adeo ipsorum naturalium adhuc nec arte immutatorum adamantum lucere aliquos, alios non lucere.

Ex quo istud concluseram denique, id quod arte paulo ante in non nullis praefiteram, a natura praestari in pluribus. partes salinas subtilissimas intra adamantem ipsum, sub horum genesim locatas, continua-  
tumque earum regionum calorem quibus adamantes procreantur, compluribus illo-  
rum vim tribuere lucem ut sorberent, sorptamque dimitterent. De eo dolebam  
interim, quod ob incognitam adhuc boracis

con-

constructionem, vltro progredi, ipsamque,  
vt aliis in phosphoris salis speciem deter-  
minare non licet, cuius potissimum in-  
terventus ad phosphorescendum requiri-  
tur.











